

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput X. Quod Jesus Christus com attractione flatus ejus mirabili modo
illam animam futurae gloriae coaptabat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

quia in omnibus cordibus, quæ pie credunt divinæ operationi meæ, quam in te spiritualiter et non corporaliter operor, fidei virtus nutritur et stabilitur. » Dehinc Pater de omnipotentia sua donavit illi, ut omnibus ex humana fragilitate paventibus, et nondum de sua bonitate plene confidentibus, tutelam præstaret securitatis. Spiritus quoque Paraclitus, qui ignis consumens dicitur, contulit illi ut ex fervore suæ divinæ charitatis calorem minus servidis ministraret. Deinde Filius Dei concessit illi, in unione suæ sanctissimæ passionis et mortis, ut omnibus in peccato languidis conferret medelam. Tunc multitudo sanctorum Angelorum ipsam coram Deo honorifice elevantes, clara voce insimul resonabant : « *Tu Dei saturitas, oliva fructifera, cuius lucet puritas, et resplendent opera.* » In illo verbo, *cujus lucet puritas*, specialiter in ea collaudantes suavissimam quietem, qua Dominus in ipsis anima dignanter requievit. In illo verbo : *et resplendent opera*, omnium operum ejus laudabilissimam et purissimam intentionem. Post hæc, omnes Sancti cantabant : « *Deus palam omnibus revelavit justitiam* », etc.

Responso-
rium
O lampas
Mechtildi
a superis
cantatur.

CAPUT X.

QUOD JESUS CHRISTUS CUM ATTRACTIONE FLATUS EJUS
MIRABILI MODO ILLAM ANIMAM FUTURÆ GLORIÆ COAPTABAT.

INTER Præfationem vero summæ Missæ, iterato velut novæ gloriæ indutus splendore, floriger sponsus Jesus suavissima quadam blanditate delicatis manibus mentum sponsæ delicate apprehendens, faciem ipsius

tam directe contra vultum suum divinum convertit, quod flatum infirmæ directo tramite afflatu suæ divinitatis intrahere videbatur; oculosque suos deificos ipsius opponens oculis, ipsos quodam mirifico suæ divinitatis radio illustravit. Sicque animam illam felicissimam mirabiliter illuminando, fideliterque sanctificando, quodam modo, ut ita dicam, beatificavit, sicque futuræ gloriæ beatitudinis coaptabat.

Vires
consumun-
tur ut tota
in Deum
immergatur.

Inter hæc, illa quæ hæc in spiritu cognovit¹, intellexit quod nondum esset assumenda, donec, virtute divina omnibus viribus penitus consumptis et annihilatis, tamquam aquæ gutta vini dolio infusa, omni humanitatis insipiditate exuta, ipsi abyso omnis beatitudinis immersa, unus cum eo spiritus effici mereretur. Sicque, licet Conventus jam quinto circa eam solitas orationes peregisset, minime tamen evolavit.

Post Tertiam vero ipsa infirma crura per se sternens, pedes in modum crucifixi Domini sui composuit; dextrum scilicet pedem sinistro superponens. Cumque a circumstantibus pes superpositus deponeretur secus alium, ipsa viriliter retrahens, iterato eum sinistro superponens, palam ostendebat hoc non casu sed devoto perfecisse affectu, ut similitudini unici amatoris sui corpore conformata, simul et gloriæ ipsius mereretur configurari. Sicque Domino pro amore suo in cruce manibus pedibusque confixo ad horam Sextam, vicem pro modulo suo reddens, mediante hora Sexta pedes suos voluntarie consternens, in laudis æternæ sacrificium immolavit. Hinc visus est Dominus tamquam amicus suavissimus membra infirma præmortua dulcissima blanditatem contrectare.

1. Illa quæ hæc in spiritu cognovit, est manifeste eadem persona quæ supra, id est, sancta Gertrudis, cuius nunc sunt omnes reliquæ de sancta Mechtilde in hac ultima parte visiones. Quæ sequuntur ab his verbis: *Inter hæc*, usque ad cap. XI. desunt in *Legatus* ubi cætera reperiuntur, sed multum abbreviata.